


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 190

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

70.
Vaillantii
Jean Foy-Vaillant.
L
Paris 1662 ?
656
[1692]

AD

TOTIUS EUROPÆ ANTIQUARIOS.

Utrùm laurea Eumenio Pacato concedenda?

NEMO vestrûm est, VIRI ILLUSTRES, ad quos Eumenii Pacati de re nummariâ Libri & Epistolæ non pervenerint. Ab annis octo Populorum & Urbium nummos illustrare, imò deturpare, aggressus est. A quinque Antirrheticum de Nummis Coloniarum & Municipiorum edidit; sed vanum & ridiculum. Nuper Epistolam de Nummis Samaritanis emisit; sed quorum interpretationem per Emissarium Antiquario acris ingenii & variæ eruditionis surripuerat. Nudiustertius alteram contra quosdam hujusce antiquitatis cultores (quos vocat Fœderatos) vulgavit: eo tantùm successu, ut se illis omnino imparem demonstrarit.

Primus Eumenii fœtus statim ut in lucem prodiit, totius Europæ Antiquarii de illius Præfationis jactantiâ conquesti sunt: libros enim eorum qui rem nummariam commentariis illustrarant, erroribus ita scatere, ut singulis ferè essent aspersi paginis, velut ex tripode pronuntiavit: unde opus suum, ERRATA ANTIQUARIORUM meritò censuit appellandum. Majora gloriosè & magnificè pollicitus, spem omnem de se & expectationem infregit. Primo aspectu periti trecentos in illo errores deprehenderunt; innumeros deprehensuri, si evolvendo & percurrendo vel minimùm immorari voluissent. Quas Antiquariis suffuratus est nummorum inscriptiones, malè legit: omnes Auctorum errores hausit, & in librum suum congessit, quem eo nomine ERRATA ANTIQUARIORUM nuncupare jure potuit: Antiquarius temporis momento fungi instar factus, sed eo titulo non diu potiturus.

Cùm lecta esset Versaliis, dum Regii nummi describerentur, arrogans omninò prima libri Populorum & Urbium Præfatio, in quâ Eumenius rem nummariam se solum callere jactabat, à Senioribus suis vocatus, mox alteram substituere jussus est. In eâ verò se non Regios & Urbis Antiquarios petere palam professus, illos appellat *Eruditos*; & librum, in quo trecenti erant reperti errores, non ampliùs nominare ANTIQUARIORUM ERRATA ausus est. Sed jam sparso de tot erroribus rumore, Auctor Nuntiorum Reipublicæ Litterariæ in Hollandia illos indicavit: ideo furens tanquam Eumenidum filius, *Eumenius* appellatus, seque irrisum putans, de famâ per eandem viam utcumque resarciendâ sollicitus, Antiquarios in altero Diario ad errores sibi demonstrandos invitat; deinde per amicos molestè quosdam sollicitat. Parisiis tandem exiit de Coloniis & Municipiis liber, in quo nummorum ab Eumenio perperam explanatorum aliqua pars habetur, eique centum & aliquot lapsus gravissimi notantur; quos cùm revocare debuisset, exasperatus magis, & Antirrheticum aggressus, errores erroribus cumulavit.

Antirrheticus, Eumenii partus infelix alter, stilo plurimis in locis facero ad sermonem hilaritate quâdam conspergendum scriptus est, tanquam eo modo insulsas à se allatas rationes posset prætendere. Innumera in eo probra & convitia rabulatum more desperatam causam perorantium, adjectâ invidiosâ verborum farragine, ad novas tergiversationes magis ineptas putidasque recurrit. Quid moramur? en hujus libri elogium, Parisios nuper ab Antiquario illustri missum. *Legi Antirrheticum, ac subnotavi supra octoginta errata hominis omnia scribentis ex ingenio, quasi fabulas compingeret, ac non historica monumenta, quæ Romanorum monumentis confirmanda erant, ut aliquam iisdem suis dictis fidem circumponeret. Est totus, totus hospes in Romanis rebus. Juro me nullum hactenus ejus molis, qua parva est, volumen legisse, in quo tot errata erratis condensentur.*

Non igitur multum laboris & operæ in Antirrhetico confutando posuit Coloniarum & Municipiorum Scriptor: facilè ipsi fuit, VIRI ILLUSTRES, opus à vobis probatum penitus

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

confirmare, eò magis quòd vera in illo aut verisimilia proponuntur, cùm contrà ab Eumenio improbabilia & falsa asserantur : unde nullus priori dolor, quem solus in capite sentit Eumenius, & dum illum in scriptis ulcisci quærit, magis exacerbat, cùm alteri tanta fides, quàm pauca ipsi adhibeatur. Visa ab Antiquariis ad Antirrheticum Responsio, quæ ab Eumenio non est visa, quæque non videbitur, quin lauream vestro judicio sit consequutus, magnum ex eâ fructum nondum capere posset : eum jam docere velle, laterem lavare esset, & Æthiopem dealbare. Ita sentit eximius Scriptor in Epistola ad Amicum. *Antirrheticum justo volumine confutavi, & ex innumeris quibus scatet erroribus,* CENTUM *tantùm selegeram : quâ occasione de numero ac stativis Legionum Romanarum ab imperio Augusti ad usque Vespasiani principatum plura adnotavi,* &c. Sed ad Eumenii Epistolas.

Antiquarii ejusdem urbis sæpe conveniunt, & de nummis recenter aut acquisitis aut explicitis inter se colloquuntur. Ex illis unus, qui plurimas linguas callet, quique magnum suæ in Hebraïcâ & Samaritanâ peritiæ experimentum dedit, nummos Hebræorum collegit, ut Josephi Historiam à se illustratam his monumentis locupletaret : in iis autem annos urbis Sion à Seleucidarum imperio sub summo Pontifice Hyrcano liberatæ, ut loquitur Maccabæorum Scriptor, signatos deprehenderat, amicisque indicaverat. Ecce Pacati Emissarius, sub specie officiosi ad illum aditus, percontatur, quem nummum nuper interpretatus sit. Antiquarius se in Hebraïcis ut in Græcis nummis æras detexisse ingenuè aperit, remque penitus narrat : tum Emissarius Eumenio dicta repetit : mox ille ad Amicum de Nummis Samaritanis Epistolam mittit, eo consilio, ut illorum epocham à se repertam suaderet Hebraïcæ & Samaritanæ linguæ imperitus, & quorumvis Orientium caracterum prorsus ignarus, qui voces Libertatis Sion designantes haud exprimere potuit. Itaque cornicem alienis pennis ornatam omnes irriserunt.

Altera nudiustertius prodiit Eumenii personati in Antiquarios debacchantis Epistola, cujus hæc causa fuit. Florentiæ in lucem prodierat à duobus annis de Epochis Syromacedonum liber, in quo Eumenium in æris explorandis peregrinari, & in plurimis rebus turpiter labi, Auctor demonstravit. Ille, qui in fastuosâ libri de Nummis Præfatione se indicasse jactaverat *æras variarum gentium propriis, quæ chronologicæ artis Magistros fugerant, designatas,* suam in re nummariâ ignorantiam undique manifestari dolens ; cùm nihil sani præstare posset, additarum nuper ad hunc librum quarumdam epocharum occasionem arripuit, ut se novis convitiis & contumeliis ulcisceretur. Non eximii Scriptoris, sed legionis ipsi devotæ ac mancipatæ opus exprobrat ; alium atque alium insimulat : & ut in Antirrhetico Nuntiorum Reipublicæ Litterariæ in Hollandiâ Auctorem, quòd errores suos indicasset, alienæ invidiæ ac maledicentiæ appellaverat administrum ; ita Auctorem Diarii Parisiensis, quòd meritas huic Scriptori laudes tribuerit, insulsis insipidisque jocis petulanter impetit, parum curans quid effutiat, modò conceptum dudum & imis præcordiis inhærentem dolorem ulciscatur, & in quem, quo turget, evomat virus acerbitatis suæ. Quæ redarguit in nummis à Veronensi Scriptore & ab aliis Auctoribus expositis, responsione non egent. Unus tantùm vestro judicio subjicitur, ut an qui eum non vidit, probabiliùs, quàm is qui illum vidit & exploravit, interpretatus sit, pronuncietis. Oculis vestris exponuntur geminæ illius nummi ex Regiâ Gazâ icones.



Missum est Florentiam prioris nummi ectypum pro appendice epocharum, in eoque, inter ambitus aversæ partis epigraphes litteras, Θ pro O depictum est, puncto in ipsius litteræ medio

veluti formato: at cùm ipsi anteriores ΗΠΡ. annos CLXXXVIII. designare viderentur, æra gemina ut in Antiochenis ejusdem Neronis nummis existimata est, præsertim cùm altera L.IΔ. an. XIV. in aream occurreret: sic littera superstes indicata pro Θ, à Scriptore nummum præ manibus non habente, ΘΕΩΝ, ob vocem ipsi conterminam ΣΕΒΑΣΤΩΝ, exposita est: quæ interpretatio tunc temporis à Græcorum adulatione non erat aliena. Residuam deinde post ΣΕΒΑΣΤΩΝ litteram M, explicuit Μεγάλων: nec longè aberat; sed illa expositio Auctori nequaquam arrisit, cùm adjecerit: *Hæc mihi laudati nummi interpretatio in mentem venit, quâ tamen longè meliorem viri doctiores invenient, quousque integer nummus quandoque repertus veram epigraphen prodat.* Id, non est asserere: qui verò aliquem redarguit, certa & indubitata proferre debet: sed quàm longè à legitimâ nummi explicatione aberret Eumenius, omnes dijudicabunt.

Pacatus, ut Flaviorum æram in Antirrhetico pag. 54. à se excogitatam ex voce Latinâ LIB. id est, *Libera*, quam in Græcas distrahit L.IE. ut annos eorum efficiat XII. sustinere posset, tertium profert in Epistolâ suâ Titi nummum, à quo Principe Cæsarea pronuntiata est *Libera*, ut inde primum, de quo agitur, ad Domitianum spectare comminiscatur; etsi omnes ex effigie Neronem agnoscant, sicut in altero hîc cælato vox ΝΕΡΩΝ convincit: dein pro litterâ Θ expositâ, quæ constanter est O, novam format Φ, ut Flaviorum æræ fabulam dudum à se confictam eo modo conficiat; & ad aliquam ei rationem prætexendam, omnes confidenter nummi invisendi causâ Versalias mittit. O hominis impudentiam, qui nec nummum contrectavit, sed in cellâ ex ingenio cuncta fabricat! Nam si eum vidisset, post litteram postremam M punctum est, illique temerè additis ΗΤΡ. urbem non fecisset Metropolim, quæ longè pòst tantùm hanc dignitatem consequuta est, & ita exponit, ΜΗΤΡ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η.ΠΡ.Φ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ L.IΔ. Μητρόπολις Καισάρεια ἡ πρώτη Φλαουίων Σεβαστῶν λυκάβαντος ιη'. *Metropolis Cæsarea Prima Flaviorum Augustorum*, in aream, *anno* XIV. Putida hæc explicatio est.

Neronis est nummus, ideo Cæsarea Græcè scribit, cùm nondum esset Colonia. Nec illa sub eo Principe, nec sub Vespasiano Metropolis facta, nec Prima, quòd Eumenius hanc civitatem ante alias Cæsaream dictam putet, nec Flavia sub Nerone vocari potuit, nec sub Domitiano confictam Flaviorum æram notare, cùm Cæsarea nullam computaverit. Hic Neronis annos denotat, & *Magnæ* nomen ad alterius Cæsareæ in hoc tractu distinctionem præfert. Quod Colonia facta etiam Græcè scripserit, & post Elagabali tempora tantùm Latinos cuderit nummos; vel quod de distinctione indigenarum fingit Eumenius, nugæ.

Quidam Antiquarius, hujus nummi observandi cupidus, Regiæ Gazæ Custodem adiit, qui protinus illum, & alterum omnino similem, comiter suo more exhibuit. Uterque Neronis est, ejus & peritorum omnium judicio: uterque in aversâ parte mulierem turritam dextrâ caput Serapidis vel Osiridis sustinentem præfert: uterque ante caput astrum habet: uterque in nummi aream regni Neronis annum XIV. computat. In priore quidem Imperatoris nomen erasum est, & in ambitu epigraphes aversæ partis initiales nominis urbis litteræ desunt; sed posteriores, ut & reliquæ, sunt intactæ. . . . . ΑΡΙΑ Η.ΠΡΟ.ΣΕΒΑΣΤΩΝ. in aream L.IΔ. In alterius nummi anteriore parte legitur integrè ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣ.ΣΕΒΑΣΤΟΣ. in aversâ corrosæ sunt ferè totæ urbis litteræ, ita ut tantùm supersint . . . IA. sed reliquæ sunt sanæ, ΗΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. quas ita reddit Antiquarius, Καισάρεια ἡ πρὸς Σεβαστοῖς Μεγάλη, *Cæsarea ab Augustis Magna*, subauditur *appellata*. In aream L.IΔ. id est, anno XIV. nempe Neronis imperii.

Duæ fuerunt in Syriæ provinciâ urbes nomine Cæsareæ, una ad mare, priùs Stratonis Turris, Palæstinæ adscripta; altera Phœniciæ, antè Paneas vocata: prior ab Herode Magno Judææ Rege, altera à Philippo Tetrarchâ ejus filio condita; utraque in honorem Augusti Cæsarea ab illis appellata. Maritima post Herodis mortem Archelao ejus filio cessit, & post hujus exilium Syriæ ab Augusto est contributa. Cæsarea Philippi etiam post ejus obitum à Tiberio Syriæ pariter adjecta: sic ambæ sub Augustis fuere; Palæstina verò ab iis, ad alterius distinctionem, seu quòd fuisset opus Herodis Magni, seu quòd esset, teste Josepho, Judææ maxima, *Magna* dicta est, aliarum urbium exemplo, nempe Diospolis in Ægypto, & Hyblæ in Siciliâ, quarum nummi *Magnæ* nomen exhibent. Cæsarea igitur, cùm priùs sub Principibus fuisset, *Magna* nomen

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [7] - 3
PUBLIC DOMAIN

ſub Auguſtis ſortita, eo in nummis ſuis gloriatur, etiamſi poſtea Agrippæ Seniori Judææ Regi à Claudio facto reddita, ut teſtatur rariſſimus ejus Principis nummus Cæſareæ cuſus, in quâ ille mortem obiit.



Ille eſt Agrippa Senior Rex Judææ, à Joſepho Magnus appellatus, & in memoriam Claudii Philoclaudius, ut hujus frater Herodes, Chalcidis Rex in nummis pariter dictus: nec eſt Agrippa Junior illius filius, ut quidam putant, qui Magnus haud cognominatus eſt; nec Cæſaream maritimam habuit, ſed alteram tantùm Phœniciæ, cujus ſub Claudio nummus inſcribitur ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥC Ε. muliere monti Panio inſidente, ad diſtinctionem Magnæ, quæ dicitur ΚΑΙCΑΡΙΑ. Illa ſub Nerone dicta eſt à Joſepho ΝΕΡΩΝΙΑΣ: hæc à Veſpaſiano facta Colonia, à quo Primatum Judææ obtinuit, nec Metropolis renunciata; cùm Metropolis & Primatus inter ſe diſtinguerentur, adinſtar Pergami, Smyrnæ, & Epheſi, quæ de Primatu contendebant, cùm nulla earum urbs eſſet Metropolis. Sed hæc ignorat Eumenius, & omnia confundit; & tamen auſus eſt in illâ ridiculâ libri de Nummis Præfatione ſe ita jactare; *præſertim cùm legere aliorum volumina, qui ſunt in eodem argumento verſati, non idcirco profuerit ut proficeremus, ſed ut coarguerentur ii.* En Magiſtri alios docere ſe profitentis errores, ex innumeris illius voluminis ſelecti, & à vobis expendendi, priuſquam ſtatuatis an laurea, quam tantopere ambit, donari mereatur.

I. Ex epochâ conficit Senatuſconſultum. In nummo Auguſti Antiochiæ Syriæ, pag. 51. legit ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΣΚ. pro ΖΚ. id eſt, *Antiochenſes anno* XXVII. & ita garrit: *Quanquam novum & inauditum, ut quod Latini litteris ſuis ac vernaculis S. C. exhibent.* O egregium epocharum ſcrutatorem & artificem!

II. Viceversâ ex Senatus decreto conſtituit annos. In Tarſi nummis, pag. 86. ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠ. Γ. Β. Τάρσου Μητροπόλεως Γνώμη Βουλῆς, hoc eſt, *Tarſi Metropolis Decreto Senatus.* Eumenius interpretatur Γ. Β. λυκάβαντος β'. id eſt, *anno ſecundo.* Quid infelicius pro milite glorioſo?

III. Ex Senatu ipſo condit Coloniam. In altero Tarſi nummo Regio, pag. 485. in quo legitur ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. Κοινοβούλιον ἐλευθέρας Ταρσου, id eſt, *Senatus* ſeu *Commune conſilium liberæ Tarſi.* Eumenius obtrudit: *Sed legendum haud dubiè,* ΚΟΛ. ΑΝΤΟΝ. Κολωνίας Αντονιανῆς ἐλευθέρας Τάρσου, hoc eſt, *Coloniæ Antoninianæ liberæ Tarſi.* A quo deductam legit unquam Tarſum coloniam?

IV. Ex annis regni Imperatoris duas urbes ſuſcitat. Regius Hadriani Imp. nummus habet, ΕΝΝΕΑ. ΚΑΙ. ΔΕΚ. Ἐννεακαιδέκατου, hoc eſt, anno *decimo nono.* Pag. 340. omiſſis primis & ultimâ litterâ exclamat: *Prioribus litteris ejuſdem provinciæ Samariæ civitatum, opinor, concordia indicatur, Neapoleos & Sebaſtes, ut legi verum ſit,* ΝΕΑ. ΚΑΙ. CΕ. Νεάπολις καὶ Σεβάστη. O illuſtrem urbium conditorem!

V. Ex annis imperii ejuſdem Principis non urbes, ut ſuprà, ſed duas provincias ordinat. In Hadriani nummo Regio legitur ΠΡΟΝΟΙΑ. L. ΚΒ. hoc eſt, *Providentia. anno vigeſimo ſecundo.* Patinus ſcripſit Κ Β. & tamen annum XXII. interpretatur. Eumenius eum immeritò redarguit: *Falsò .... Quid eſt igitur quod ſub his litteris* Κ. Β. *myſterii latet? nihil, opinor, aliud quàm* Κιλίκων, *vel* Κιλικίας δευτέρας, *ſecundæ Ciliciæ.* Hæc provincia ſub Arcadio Imperatore ducentis & ſeptuaginta abhinc annis tantùm in duas diviſa eſt.

VI. Ex Pontificis nomine, Metropolis dignitatem urbi attribuit. Regius Severi nummus habet, ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. ΑΡΧ. CΤΡΑΤΟΚΛΕΟΥC, id eſt, *Halicarnaſſeorum Pontifice*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [8] - 4
PUBLIC DOMAIN

Stratocle. Pacatus legit, pag. 29. ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Halicarnasseorum Metropoleos*. Eundem deinde nummum, poſt ſex lineas, rectè exponit. Sed cur priorem ergo malè deſcripſit? diſce. Solus eum legit; poſteriorem ex Indice tranſcripſit: & ita Antiquariorum cymbalum vult haberi.

VII. Ex Magiſtratus nomine urbem componit. Nummus Alex. Severi & Mœſæ in Gazâ Regiâ exhibet ΑΓ. ΤΥΧΗ ΥΠ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. id eſt, *Bona Fortuna ſub Terebentino* Præſide *Marcianopolitarum*. Eumenius ut inſignis Geographus exclamat: *Alterum vidimus in Gazâ Regiâ, in quo capita ſimul Alexandri & Mœſæ*, ΑΓ. ΤΥΧΗ ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΩΝ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Quo nummo utriuſque civitatis concordia ſignificatur*. Fruſtra Terebentinos circa Byzantium inſulanos quærit ille geographiæ Plinianæ ſarcinator Not. ad ejus lib. pag. 630.

VIII. Ex Magiſtratus alterius nomine urbem iterum, ſed incognitam, ex legitimâ confictam inducit. In averſâ nummi parte, pro urbe, Jovis epithetum format: ita contra Chimæram pugnat. In nummo Tiberii argenteo legitur, ΤΙ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ Ε. ΚΟΡ. Α. Τιβέριος Καῖσαρ Σεβαστὸς ἐπὶ Κορνηλίου Λύπου, hoc eſt, *Tiberius Cæſar Auguſtus ſub Cornelio Lupo*. Eumenius refert, pag. 72. ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΚΟΡΑ. quam ultimam vocem, pag. 160. in tres ut ſuprà diſtrahi jubet; ſed hîc in unam contrahit, & inverſo ordine ſignificare narrat ΑΡΟΧΕων, id eſt, ut interpretatur, *Tiberius Cæſar Auguſtus Arochenſium*. Quis hîc Eumenii ingenii ſubtilitatem non miretur? nam addit: *Arochenſes quidem qui ſint, adhuc incompertum eſt*. In altero nummo, in quo ſe ΑΡΟΧΕΩΝ videre exiſtimavit, legere debuerat ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, & non ita lapſus eſſet. Averſa autem Tiberii nummi pars habet, ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡ. & ait Eumenius: *Hoc eſt, ut ego interpretor; nam Patinus & alii nihil hîc vidêre*, ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ, *Deus Auguſtus Liberator*. Monitus fuerat, pag. 160. ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ eſſe legendum, & ad Ἐλευθέρνας Cretæ civitatem ſpectare. Quis tot σφάλματα in uno nummo animadvertit? tamen bullâ ventoſior clamat: *Noſtrum tamen magis etiamnum commentum arridet*. Sed philautiâ valde laborat, & ſolus magnificè de ſe ſentit.

IX. Ex dignitate Pontificiâ urbem conſtruit, cui primam provinciæ dignitatem tribuit. In nummo Alexandri, pag. 308. legit Eumenius, ΕΠΙ ΑΥΡ. ΖΗΝΩΝΟΣ ΑΡΧ. Α. ΜΑΙΩΝΩΝ, hoc eſt, *ſub Aurelio Zenone Pontifice primo Mæonum*. In altero Regio ejuſdem Imperatoris pariter legendum erat ibidem, ΕΠΙ ΑΥΡ. ΖΗΝΩΝΟΣ ΑΡΧ. Β. ΜΑΙΩΝΩΝ, *ſub Aurelio Zenone Pontifice iterum Mæonum*; & non, ΕΠΙ ΑΥΡ. ΖΗΝΩΝΟΣ ΣΑΡ. ΠΡ. ΜΑΙΩΝΩΝ, ut infeliciter verteret, *ſub Aurelio Zenone Sardis prima* civitas *Mæonum*: cùm hîc Mæonia ſit Lydiæ urbs in Notit. Epiſc. Græcorum, & illius oppidi Antiſtes Joannes Synodi Sardianæ ad Leonem Imp. epiſtolæ ſubſcripſerit.

X. Ex urbe Hieropoli ad Pyramum Ciliciæ fluvium ſitâ alteram conficit in nummo non ſcriptam, quam hujus tractus Metropolim decernit. In nummo Regio ab unâ parte exhibetur caput muliebre turritum, in cujus averſâ parte circa Cybelem ſedentem legitur ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ, hoc eſt, *Hieropolitarum qui ſunt ad Pyramum*. Eumenius præpoſterè ſcribit, pag. 329. ΜΗΤΡΟΠ. ΤΩΝ ΠΡΟC ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ, & profert: *Ut intelligatur oppidorum omnium, quæ Pyramo amni eſſent appoſita, Mopſueſtiam metropolim extitiſſe*. De Hieropoli cum Caſtabalâ Ciliciæ jam egerat pag. 242. ΙΕΡΟΠΟ. ΚΑCΤΑΒΑ. ΙΕΡΟC, ſed eam Geographiæ planè ignarus ad Syriam revocaverat, & Mopſueſtiam Ciliciæ Metropolim conſtituit.

XI. Ex Communi populorum, Palladem progignit, ex cerebro nempe ut Jupiter alter. Legerat in M. Aurelii nummo, pag. 290. ΛΕCΒΙΩΝ ΚΟΙΝ., hoc eſt, ipſo loquente, Λεσβίων Κοινὸν, *Commune Leſbiorum*. At quia in Commodo ejus filio, pag. ſequenti, inversâ epigraphe habetur ΚΟΙ. ΛΕCΒΙΩΝ, id eſt pariter, Κοινὸν Λεσβίων, turbatur ejus cerebrum ex quo exilit ΚΟΡΗ ΛΕCΒΙΩΝ, *Virgo Leſbiorum*: *Quod & Patinum & totum ante nos Antiquariorum gregem fugit: cùm vel ex Henr. Stephani Lexico doceri illi potuiſſent, Minervam quoque à Platone, de Legibus*, Κόρίω καὶ Δέκαινιαν *appellari*. Invitâ tamen Minervâ de nummis loquitur Eumenius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [9] - 5
PUBLIC DOMAIN

XII. Ex monte Cappadociæ, juxta quem urbs ſita indicatur, provinciæ primatum ipſi aſſignat. Nummus Hadriani ex Gazâ Regiâ præfert, circa mulierem monti inſidentem, ΤΥΑΝΕΩΝ ΠΡ. Τ. ΙΕΡ. ΑCΥ. ΑΥ. Τυανέων πρὸς Ταῦρον ἱερᾶς ἀσύλου αὐτονόμου, *Tyanenſium qui ſunt juxta Taurum, ſacræ* civitatis, *inviolatæ, ſuis utentis legibus.* Eumenius pag. 510. vocem ſubſtituit ΚΑΠ. ut nummi epigraphen interpretetur, ΤΥΑΝΕΩΝ ΚΑΠ. ΠΡ. Τ. ΙΕΡ. ΑCΥ. ΑΥ. Τυανέων Καππαδόκων πρώτης ἱερᾶς, ἀσύλου, αὐτονόμου, *Tyanenſium* civitatis *Cappadocum primæ, inviolatæ, ſuis utentis legibus.* Sed in libris ſuis montes pollicetur aureos, unde naſcitur ridiculus mus.

Hæ ſunt rei nummariæ theſes, quas ſummâ jactantiâ ſuſtinuit Eumenius. An laurea ſit illi concedenda, VIRI ILLUSTRES, deliberabitis.


BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

X, 44°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [10] - 6


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [11] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [12] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 320

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [13] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 1, [14] - -

PUBLIC DOMAIN